



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Bonifacius Ep. Mart. 19. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

que enim quemquam postea puduit tot cælestis sapientiae insignia circumferentem, prospicientem futura, familiarem Angelis consulere, aut audire monentem. Viri Principes agendas illi suas apud Superos causas detulere, certa spe victoriae, si patrocinium suscepisset. Et hoc tantum orbis miraculum anno M.D.V. terras deseruit, ne queri quisquam possit, nullam nostro ævo magnam virtutem gigni. Quid vis? an ulli Deus invidet suam crucem? sed nos delicati humeros subducimus.

*Ex Phil. Fer.*

*Tolle Crucem tuam, & sequere Iesum, & ibis in vitam eternam: præcessit ille bajulans sibi Crucem, & mortuus est pro te in Cruce; ut & tu tuam portes Crucem, & mori affectes in Cruce.* Thom. de Kemp. l.2.c.ult.

### S. BONIFACIUS EP. MART.

19.Iunii.

**F**uit BONIFACIUS Ottoni Imp. sanguine, plus amicitiâ junctus, quæ quidem tanta inter illos erat, ut cum familiariter illum hic compellaret, animam suam identidem diceret. Liberalibus artibus omnibus, musicis præcipue instructus, dum modulos in æde cognominis sibi D.BONIFACII instruit, cælesti Numine repente afflatus, heus! exclamat, quid vanam ego nominis umbram gerro; quid Martyris titulum circumfero, si non victorias etiam & palmas? Superos testor, & cognominem Divum, aut non dicar BONIFACIUS, aut ero. simul ad monasterium abiit Martyrii tyrocinia positurus. Avelli Ottoni animam suam vidisses. At ille bis tantum in septimanâ cibum capiens crebro interim corpus in vepres abjiciens ad martyrum pa-

tien-

tientiam se durabat. Post Romam profectus, & Archiepiscopatus honore mactatus, & jam ad purpuram aspirare ausus, in Russiam abiit. Ibi post multa ludibria rex cum Divo ita paciscitur. Siro-geminos, qui juncti flamas sociarent, illæsus perambularet, tum sese etiam in Christianorum sententiam pedibus ambulaturum. Dictum, factum. BONIFACIUS per rogam, rex ad partes Catholicorum transit. Ad regis porrò exemplum innumera multitudo confluxit. Mox sua laborem præmia secuta. BONIFACIUS à germano Regis capite truncatus, nomini denique suo satisfecit. Ex Pet. Damiano ap. Sur. in vitâ S. Romualdi.

*Vniversi Christiani agnoscant se regii generis, & sacerdotalis officii consortes. quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, & pietatis hostias de altari cordis offerre?* S. Leo serm. 3. in ann. Afl. suæ.

## S. ROMUALDUS AB. 19.Iunii.

**S**pectator fortè ROMVALDV斯 adfuit, cùm parentes duello germanum suum sustulit. Itaque cum animo suo putans censuit, quod pater manu, hoc se oculis parricidium perpetrasse. Quare ad noxam expiandam, concedere ad aliquod tempus in cœnobium statuit. Sed familiaritate cœnobitæ, nescio cuius, & aspectu è cælo semel iterumque ad se venientis D. Apollinaris captus, pedem, ne saepius offenderet, nunquam jam referre in mundum statuit. Quare fundamenta Ordinis illius jecit, quem hodie Camaldulensem dicimus; qui quidem in quantum brevi fastigium assurrecturus esset, scalæ indicarunt ROMVALDO per quietem